

non innumera abbatum, prepositorum, cleri populique astante caterva die kalendarum
 septembrium idem monasterium sollempniter ad honorem Iesu Christi eiusque genitricis
 dedicaverunt. Ubi predicta felix marchionissa ea, quę prius voverat deo et sanctis eius,
 ad sustentationem monachorum domino inibi famulantium obtulit cum consensu heredum
 5 suorum, scilicet filii sui Ottonis et filiarum, videlicet Richenzę coniugis nostrę et Gertrudis
 palatinę comitissę, presente clero et populo, qui eo die illo confluerat. Obtulit autem in
 Ualeberge xxxviii mansos, ex quibus quattuor semper erunt sine decima, in Begerstede
 x mansos et ad vestiarium fratrum in Fresia apud Morheim predium solvens xx talenta
 illius monetę. His ergo deo devote ab ea oblatis et ad conspectum domini Sabaoth per
 10 angelos, ut credimus, allatis predictus apostolicę sedis legatus apostolica auctoritate, sed
 et venerabilis episcopus eandem donationem suo banno confirmaverunt, et, quicumque
 quoquo modo vel ingenio aliquam vim rebus eidem monasterio collatis vel conferendis in-
 tulerit, cum Iuda traditore, diabolo et angelis eius sub anathemate feriendo tradiderunt.
 Postea vero quam eadem marchionissa Gertrudis mundo excessit, filię eius Gertrudi pala-
 15 tinę in parte hereditatis accepta idem monasterium in tutelam cessit. Quę non minorem
 matri in provehendo eodem monasterio fervorem arripiens x mansos in Berchem cum
 mancipiis utriusque sexus dedit et eundem locum proprio abbate decorare volens de
 Hilsinneburch electum et expetitum venerabilem virum Gozwinum prefecit et a venerabili
 Fardensis ecclesię episcopo Titmaro in eodem monasterio presente coniuge nostra ordinari
 20 fecit. Exactis autem aliquot annis cum prefata Gertrude palatina partem hereditatis,
 quam acceperat, datis aliis prediis cambivimus idemque monasterium sub nostram potesta-
 tem suscepimus. Quieti itaque eiusdem monasterii deoque ibi servientium providentes
 locum eundem cum omnibus ibi collatis et conferendis, acquisitis et aquirendis nostrę
 auctoritatis decreto firmamus et regali banno munitum nostri privilegii scripto roboramus,
 25 advocatiam vero ecclesię iuri nostro heredique nostro, cuius ditioni castrum illud Tan-
 quarderoth cum suis appendiciis mancipatum fuerit, reservantes per unum ministerialem
 nostrum absque aliquo beneficii iure amministrari decernimus. Qui videlicet ter in anno
 placitum teneat et ad servicium suum, sicut bone memorię Gertrudis marchionissa instituit,
 percipiat, scilicet unum porcum vel solidum unum, tres modios panis, v amphoras cervisę,
 30 lx manipulos ad pabulum. Quodsi vel in rebus vel in causis monasterii abbati ac fratri-
 bus violentiam inferre temptaverit vel iniustas exactiones exercuerit, secundo ac tercio
 commonitus, si non emendaverit, ab advocatia removeatur et alius, quem princeps, sub
 cuius potestate locus est, utilem monasterio iudicaverit, subrogetur. Abbas vero liberam
 habeat potestatem in collocandis ad utilitatem monasterii prediis, sed et de census seu
 35 servicii sui subtractione seu cuiuslibet alterius iusticię suę diminutione, secundum quod
 sententia dictaverit, cum familia ecclesię agat, cui videlicet actioni advocatus nullatenus
 se nisi vocatione abbatis temptet ingerere. Si quis vero contra hoc nostrę institutionis
 decretum venire temptaverit et eiusdem monasterii quietem ullo modo turbaverit, ad te-
 meritatis suę pęnam decem libras auri, medietatem camerę nostrę et medietatem prefatę
 40 componat ecclesię. Et ut hoc omni inposterum tempore firmum et intemeratum custo-
 diatur, presentem paginam sigilli nostri inpressione iussimus consignari.